167

Lane Medical Library

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES A GRATIOSO MEDICORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI RITE OBTINENDOS

DIE XIII. M. JULII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS GUIL. PRIEGER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

REMER, med. et chirurg. Dr.
KOEHLER, med. et chirurg. Dr.
KIND, med. et chirurg. Stud.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DEFINITIO.

Febres intermittentes sunt eae febres, quarum paroxysmi liberis intervallis sese excipiunt; quam ob rem nonnulli periodicas eas rectius nominari contenderunt. Alterae febribus intermittentibus oppositae sunt febres continuae, quia liberum symptomatum febrilium intervallum non ostendunt, et remissiones solas atque exacerbationes habent. Divisio autem haec febrium est secundum typum generalem, quem observant.

DE RATIONE AC NATURA FEBRIS INTERMITTENTIS.

Quod ad naturam rationemque febrium intermittentium pertinet, nihil certi constat; characterem ejus definire non possumus, qua nos proxima causa fugit. Quod Ill. Hildebrand jure dixit de febre in

universum, id eodem jure de febre intermittente in specie dici potest: „Logica ejus definitio dari non potest; hinc pro idea febris explacanda descriptio rhetorica potius requiritur.“ Multae existunt sententiae ac conjecturae excellentissimorum in rebus pathologicis virorum de proxima febris intermittentis causa, et valde sunt respiciendae; nullo modo autem his hypothesibus morbi naturam ipsam investigatam et plane in lucem productuam esse opinemur.

Nostris temporibus praesertim ex anatomia et chemia pathologica, nec minus ex microscopia major hujus processus morbosi cognitio petenda est, atque nunc jam experimenta perscrutatorum maximam nobis spem praebent.

Per experientiam atque experimenta jam instituta invenimus mixtionem sanguinis in febre intermittente maxime alteratam, sic ut globuli sanguinis et prae ceteris elementis cruor maximae diminuti sint, atque liquor sanguinis, quem dicimus serum, praevaleat. Quod jam ex colore peculiari aegrotantium hoc morbo intelligi potest, quippe qui colore sic dicto febrili praediti sint. Quibusdam in regionibus, ubi febres intermittentes sunt endemicae, exempli causa in terris depressis Batavorum, omnes fere incolae colore lurido, flavo laborant. Magis

etiam haec sanguinis depravatio multis sudoribus et propensione ad morbos hydropicos manifestatur.

Non minus sectiones hoc morbo defunctorum excellentissima depravati sanguinis vestigia et sequelas patefaciunt: lien saepenumero hypertrophicus atque maceratus, et sanguine fusco, coeruleo, dissoluto repletus invenitur; systema venae portarum quasi infarcitum liquore potius sanguineo quam sanguine, qui haeret in vasis varicosis et relaxatis, neque circuitum liberum permittit.

Num hac sanguinis constitutione processus febrilis declarari possit? Forsitan irritato systemate nervorum a sanguine depravato. An potius sanguis decompositus e systemate nervorum prius alterato declaranda sit? Quaestiones hae sunt, quibus nulla ratione responderi potest. A multis pathologis febris intermittens inter febres sic dictas nervosas numeratur ob multa praestantissimaque symptomata systematis nervorum irritati.

Reich proximam causam ponit in medulla spinali, et quidam in membranis ejus inflammatis. Contra alii morbum in systemate ganglioso abdominali sedem habere affirmant, ac per anatomiam pathologicam vestigia in gangliorum tela laesa inventa esse dicunt. Pathologi veteres nominarunt

febrem neutrius generis, quia et systema nervosum et vasculosum in eis particeps signorum morbosorum est.

Omnes autem hae sententiae nullo modo satisfaciunt, atque in hujus morbi natura et ratione perscrutanda atque in lucem proferenda adhuc maxima et experientiae et experimentorum copia desideratur.

Processus febrilis tam profunde inire videtur in totam corporis organisationem occultissimasque ejus actiones, ut explicatio ejus satis clara plus optari quam exspectari posse videatur.

DESCRIPTIO SYMPTOMATUM.

Nobis jam descriptio morbi majoris adhuc momenti esse debet, quam hypotheses de natura neque probatae neque probabiles. Quare signa symptomataque accuratius definiamus, atque hac ratione tabulam febris intermittentis claram et veram describamus.

Omnis febris intermittens est composita paroxysmis sic dictis atque intervallis liberis signorum febrilium. Paroxysmi tria sunt stadia discernenda:

Stadium horroris — aestus — sudoris vel potius criseos.

Stadium primum ingreditur horripilationibus, quae fere semper initium capiunt in tergo atque

hinc per totam corporis superficiem diffunduntur; frigus intercurrit cum cute anserina et frigida, saepe dentium frictione; pulsus est frequentissimus, celerrimus, sed parvus, contractus, duriusculus, facies pallida et collapsa; capitis dolor saepe inimicissimus, ita ut aegroti caput sustinere vix possint; urina pallida, sed copiosa, magna sitis maximaque aegroti inquies. Durat hoc stadium plerumque horam dimidiam ad unam; in quotidiana et tertiana brevius obtinet tempus, in quartana autem nonnunquam horas quatuor et plures. In febribus tertianis horror magis est rigor tremorque artuum, in quartanis contra magis algor reperitur.

Paullatim transit in stadium aestus, in quo cutis rubescit et calescit, pallor cedit rubori, frigus calori, oculi injecti sanguine splendorem magnum ostendunt, pulsuum frequentia et celeritas aliquantum diminuuntur; pulsus majores, pleniores et undosi fiunt; urina imminuta, sed rubra, clara; sitis permagna vi aegrotum vexare solet.

Sub finem stadii aestus cutis fit mollis et ad transpirationem apta; pulsus undosus, quod symptoma crisin indicat per cutem seu transpirationem, quae esse debet, ut medicis satisfaciat, copiosa, universa-

lis, vaporosa, tepida, acidam reactionem chemicam ostendens.

Saepenumero crisis plus vel praecipue per renes efficitur, ubi copia urinae augetur atque sedimento rosaceo latericio vas infimum obtectum est. In stadio criseos omnia febrilia symptomata remittunt atque paullatim in apyrexiam, ut intervallum inter duos paroxysmos nominatur, transeunt.

DIVISIO FFBRIUM INTERMITTENTIUM.

Divisiones febrium intermittentium permultae sunt, varia enim ratione a decursu normali deflectere possunt hae febres, et primum quidem distribuuntur secundum typum seu secundum tempus, quo paroxysmi singuli alternant inter se. Permultae autem ac varia sunt discrimina.

Typus generalis febrium intermittentium esse potest vel regularis vel irregularis. Haec divisio spectat ad dies, in quibus febris apparet, et quidem febris regularis est illa, cujus paroxysmi certis diebus occurrunt; irregularis, ubi id non fit. Tum typus vel fixus vel mobilis esse potest, quae ratio spectat ad tempus diei seu ad horam, in qua paroxysmus intrat, et tum quidem est typus fixus, si paroxysmi singuli iisdem semper dierum horis ap-

parent, tum vero typus est mobilis, si alio atque alio tempore paroxysmi occurrunt; typus autem mobilis rursum duplex esse potest vel anticipans vel postponens.

Febris tum typum habet anticipantem, quando paroxysmi sequentes maturius semper apparent quam antecedentes, sic ut paullatim sibi appropinquent. Ut exemplum afferam, si in febri quotidiana proxysmus hesterno die hora decima apparuit, hodie autem hora nona jam intrat, hic est typus anticipans; postponens typus adest, si contrarium anticipantis accidit.

Etiam febris subintrans hic memoranda est; febris quidem est anticipans, sed ita, ut paroxysmi inter se compliceantur.

Inter febres regulares numeratur:

1. Febris quotidiana, ubi viginti quatuor horis interjectis paroxysmi singuli sese sequuntur. Quotidiana plurimos suos paroxysmos matutino tempore habet.

2. Febris intermittens tertiana, cum intervallo quadraginta octo horarum. Haec purissima febrium intermittentium forma est et quod ad singulos paroxysmos et quod ad typum elaboratum pertinet. Saepe autem mutantur in febres sic dictas comita-

tas seu perniciosas, quare semper maxime in curatione respiciendae sunt.

3. Febris quartana, cum septuaginta duabus horis interjectis. In qnartana febre stadia aestus et criseos minus elaborata esse solent quam stadium horroris, quare etiam in hoc maximum periculum imminet; algor internus saepe est inimicissimus. — Quartana longissimum tempus durat, praecipueque morbos organicos in tractu intestinali efficit, physconias, hydropsias etc. de quibus sequelis ac complicationibus postea disserendum est. —

Nonnulli pathologi quintanas etiam febres intermittentes esse volunt, quas plurimi tamen extare negant.

Porro typus simplex et compositus esse potest. Simplex dicitur, ubi pyrexis atque apyrexia fixo apparent tempore, tempus suum sine intermissione perdurant, omnesque paroxysmi sunt aequales. Sunt autem quotidiana, tertiana, quartana simplex.

Compositae sunt febres, ubi in tempore intermissionis alii paroxysmi intercurrunt. Discernuntur autem in febres intermittentes duplices et duplicatas.

Duplex est, si in die apyrexiae quoque parox-

ysmus, etsi levis esse potest, intrat: exempli causa febris tertiana duplex ea est, ubi primo die paroxysmus gravis occurrit, secundo die levior, tertio iterum gravior, quarto levior etc. Respondent sibi quod attinet tempus ac gradum, dies et aequales et inaequales.

Intermittens duplicata dicitur, in qua singulis diebus duo apparent parxysmi et intermissiones. Febris quotidiana duplicata adest, si et mane et vespere paroxysmus atque intermissio apparet.

Multi pathologi sub febri quotidiana duplici eundem morbum intelligunt, et promiscue nominibus ambobus utuntur; alii discrimen statuunt, febremque duplicatam quotidianam nominant, si omnes paroxysmi sunt aequales, duplicem vero, in qua paroxysmi alterni sibi respondent et tempore et vehementia.

Ergo in quotidiana duplicata una tantum febris est, quae pro uno impetu duos eodem die facit. In duplice vero duae sunt febres intermittentes quotidianae, quarum altera gravior, altera levior est.

Altera febrium intermittentium divisio est secundum characterem.

Ac primum quidem discrimen est inter febres intermittentes benignas et malignas. Benignae eae

dicuntur, quae per se ipsas vitae non afferunt periculum, et bonam prognosin permittunt; ergo mors ex his non imminet. Malignae seu perniciosae istae appellantur, quae per se ipsas vitae periculum afferunt, malamque prognosin praebent.

Ad febres perniciosas numerari solent:

1. Febres intermittentes comitatae, quae cum alio periculoso morbo conjunctae sunt. Plurimae diversissimaeque existunt combinationes et modificationes. Exempli causa affero: febrem intermittentem cephalicam, apoplecticam, comatosam etc. febres intermittentes inflammatorias, pneumonicas, pleuriticas, dysentericas etc. febrem intermittentem spasticam, tetanicam, cholericam, etc.

2. Ad febres intermittentes comitatas aliae quaedam febres accedunt, quae a pathologis veteribus peculiaribus sunt designata nominibus:

1. Febris algida, in qua aegroti inter paroxysmum rigescunt.
2. Febris helodes s. sudorifera; sudoribus colliquativis paroxysmus totus se designat.
3. Febris lyngodes s. singultuosa, cum singultu inimicissimo conjuncta.

Aliae hujus generis etiam sunt, quas omnes describere supervacaneum mihi videtur.

3. Porro ad febres perniciosas referuntur.

Hemitritaeus seu semitertiana, cujus duae praecipue distinguuntur species.

Hemitritaeus Celsi est f. intermittens tertiana, cujus paroxysmi ita se extendunt, ut finis unius in alterius innitium porrigatur; febris igitur est subintrans, quam supra descripsimus. —

Hemitritaeus Galeni autem est febris intermittens tertiana cum febri continua remittente conjuncta.

Altera divisio febrium intermittentium est secundum vehementiam symptomatum febrilium et quidem tres sunt species:

Febres intermittentes erethisticae seu mediocres, ubi febris vehementia parca et satisfaciens est. Febris intermittentes sthenicae seu inflammatoriae, ubi paroxysmi vehementissima febris ac symptomatum febrilium vi sese designant. Saepenumero letiferae sunt, neque bonam praebent prognosin.

Febris intermittentes asthenicae facillime mutantur in febres hecticas aut putridas, atque pessimum dant augurium.

Haec ultima divisio in cura instituenda maximi habenda est. —

Quartum discrimen febrium intermittentium de-

pendet de manifestatione earum vel aperta vel larvata. Apertae eae dicuntur, quae non solum paroxysmos habent exquisitos, sed etiam paroxysmi certa stadia; larvatae contra, si sub imagine alius morbi occultantur, ac fere tantum conjici possunt. Discernendae hae sunt ab alio genere sic dictarum larvatarum febrium intermittentium, quae mea opinione inter febres intermittentes nullo jure numerantur. Sunt magna series morborum vel potius affectionum morbosarum, quae periodice recurrunt, nullum autem febrilium symptomatum vestigium offerunt; sunt quidem in primis sic dictae neuroses, quarum numerus ingens.

Febres intermittentes mihi autem ex duabus signorum et febrilium et periodicorum pathognomonicorum seriebus constitutae videntur: quare si una series deficit neque ullum ejus vestigium inveniri potest, febris intermittens nullo modo esse potest, sed potius aut febris simplex aut morbus aliquis periodicus.

Veteres medici febres intermittentes etiam diviserunt secundum anni tempus in febres intermittentes vernales et autumnales, quarum priores ob propensionem ordinariam ad crises largas atque exquisitas, saepe febres depuratoriae nominatae sunt.

Minoris vero momenti haec est divisio. — De complicatione febrium intermittentium cum aliis morbis, nonnulla supra jam dicta sunt, alia in capite de therapia afferentur. —

AETIOLOGIA.

Febres intermittentes plurimae fiunt spontaneae sed etiam contagione existere possunt.

Ad spontaneam genesin duos praesertim causarum series afferri oportet, praedisponentes et occasionales. — Quarum priores esse possunt et internae et externae causae. Internis annameruntur cutis tenera, vulnerabilis, quam dicimus »verzärtelte Haut.« Porro homines systemate nervorum irritabili, erethistica praediti saepius hoc morbo corripiuntur quam homines quadrati, robusti. Praecipue autem maxima dispositio aegrotandi existere solet in iis, qui prius eodem morbo jam laborabant. — Causae externae praedisponentes modo singulos homines, modo totas regiones et populos afficiunt. Sunt autem in primis temperies frigida, humida, qua cutis transpiratio offenditur neque effici potest; aër organicis praeditus effluviis, praesertim quae dicitur mephitis paludosa: quare saepenumero vere atque autumno in regionibus, quae magnis sylvis

et paludibus obtectae sunt, epidemiae late extensae superveniunt.

Magna praedispositio in terris profundis, mari adjacentibus adesse solet, ubi mare nonnunquam in terras propinquas effunditur, ibidemque aquam illam perniciosam relinquit, quam dicunt maris adcolae »Brackwasser«. Eadem ratione post inundationes fluviorum in vernali tempore major fit dispositio aegrotandi febri intermittente. Endemicae sunt febr. intermittentes in regionibus vulcanicis, vel ubi prioribus temporibus vulcani laborabant. Occasionales causae in primis sunt perfrictiones et permadefactiones subitae, somnus in cubiculo humido et aurae permeanti exposito; multae tamen aliae etiam esse possunt, quippe quum omnes fere corporis animique afflictus organismum praedispositum in morbum injicere possint. Quae nutrimenta ad morbum intermittentem efficiendum plurimum conferant, non satis constat. — Quod ad contagionem pertinet, observatum est, homines vestimentis, lecto et linteis aegrotorum febri intermittente usos eodem morbo esse correptos.

SPATIUM.

Intermittens ephemera non invenitur; quotidiana et tertiana per dies quatuordecim ad viginti quatuor

perdurare et cum septimo paroxysmo finiri solent. Quartana saepenumero per menses duos, nonnunquam etiam per totius anni spatium aegrotos in cubiculo retinere possunt. Varium autem spatium est, neque certis finibus circumscribendum.

PROGNOSIS.

Prognosis in febribus intermittentibus, quod ad generale pertinet, bona appellari potest, praecipue febris tertianae legitimae. Quotidiana neglecta facile mutatur in febrem continuam. Quartanae hoc fere nunquam accidit, difficillime autem est sananda, saepe recrudescit magnamque habet dispositionem ad morbos consecutivos. Melius est, si stadium horroris brevius, aestus atque criseos longius per tempus permanent. Respicienda sunt in ponenda prognosi:

1. Febris diuturnitas: quo brevius tempus morbus duravit, eo facilius tollitur; si diutius adfuit facile desorganisationes in cavo abdominis atque morbi consecutivi existunt.

2. Aetas et constitutio aegroti, nam et infantes et debiles paroxysmis facile exhauriuntur; infantibus magnum periculum impendet ex convulsionibus vehementissimis in stadio primo seu horroris.

3. Complicationes affectionesque secundariae. Permultae sunt, sed omnes fere dubiam permittunt prognosin, quia duo morbi in plurimis casibus sese adjuvant in corpore conficiendo.

4. Typus: febres intermittentes tertianae facilius tolluntur, quartanae graviores esse solent.

5. Causae: sporadicae levissimae sunt; epidemicae saepenumero perniciosam faciem ostendunt.

6. Omnes fere malignae intermittentes suppeditant prognosin dubiam ad malam vergentem.

Plurimum autem in morbo intermittente febrili bona curationis methodus praevalet, et in hoc malo generis humani medicorum ars maximos refert triumphos et laudes. Optimus hujus morbi est apparatus medicamentorum, et remedia habemus paene certa in iis curandis. Magnam opem etiam intermissiones in hoc morbo curando medicis praestant quum in iis vires aegrotantium restituantur.

EXITUS ET SEQUELA.

Exitus optimus febris intermittentis est sanatio per crisin satis magnam, qua cutis largum et universalem profundit sudorem. Sunt praeter hanc etiam aliae crises supplementariae, ut eczema criticum circa labia oris meatusque narium (herpes la-

bialis). Semper autem magna remanet dispositio ad recidivas, praecipue crisibus non satis elaboratis, sudore parco neque per totum corpus diffuso; saepenumero autem sanatio non plane perficitur, sequelae relinquuntur molestissimae. Organa systematis digestionis in primis pati solent et potissimum lien. Jam inter decursum morbi intumescentia lienis exoriri solet; in primis quidem paroxysmis raro reperitur, si autem morbus per longius tempus duravit, in omnibus fere casibus lien majoris voluminis quam solet per integumenta abdominis sentiri potest. Magna lienis intumescentia nominatur placenta febrilis, quae non solum hypertrophiae, sed saepissime etiam malacia et maceratio parenchymatis est. Multas molestissimasque sequelas haec lienis desorganisatio excitat et inter decursum morbi et post febrem intermittentem finitam, ut hydropsias, melancholiam, hypochondriam aliaque animi pathemata: sicut in iis regionibus ubi febres intermittentes endemicae sunt, plurimi fere incolae peculiari quadam animi melancholia laborant. Non solum autem lien afficitur hac physconia, sed saepe etiam hepar aliaque tractus intestinalis organa. Circuitus sanguinis in cavo abdominali, praesertim venae portarum retardatur, sanguis

haeret nec propulsatur, molestissimas efficit congestiones atque vasorum relaxationes. Sectiones hoc morbo defunctorum plurima hujus desorganisationis praebent exempla. Hydropsiae non raro exoriuntur, modo per crisin irregularem (hydrops criticus), modo impedito circuitu sanguinis in ventre (hydrops organicus), modo ex mixtione sanguinis depravata (hydrops atonicus). Toto habitu et colore convalescentium ex febri intermittente longa intelligi potest magna organorum digestionis discussio. Facies et tota cutis lurida, flava, colorque sic dictus febrilis.

Nonnunquam etiam febris intermittens in alium morbum immutatur per metaschematismum; ac primum quidem paroxysmis prolongatis in febrem remittentem continuam; in typhum quoque praecipue tempore autumnali f. intermittens transire potest, quae non laeta est mutatio. In epidemiis nonnunquam reperitur, febres intermittentes abire in febres gastricas aut gastricas catarrhales, quae posteriores saepenumero transeunt in febres nervosas.

In tuberculosin pulmonum febris intermittens rarissime discedit; e contrario processus intermittens tuberculosin excludere videtur. Observatum enim est, in regionibus, ubi febres intermittentes

endemiae sint, tuberculosin esse rarissimum morbum et vice versa. Fieri autem potest, ut tuberculosis a febre intermittente larvata atque mitigata, post sanationem hujus morbi, denuo recrudescat, et hac ratione ex febre intermittente orta esse videatur.

Febris intermittens quosdam morbos re vera sanare seu potius diminuere et excludere dicitur exempli gratia morbos impetiginosos, scabiem etc., affectiones nervorum gangliosorum, ut epilepsiam etc., quare nonnulli pathologi febrem intermittentem morbum depuratorium esse contendebant atque omne sanandi conamen repudiabant.

Ut supra jam dictum est, mors rarus quidem est exitus hujus morbi; sed nonnunquam efficitur in primo horroris stadio per impletionem partium internarum sanguine, praesertim apoplexia cerebrali, rarissime in ceteris stadiis aut viribus aegroti plane exhaustis.

THERAPIA.

In febris intermittentis curatione quatuor indicationes principales respiciendae sunt, quae in morbi decursu sese excipiunt:

1) ut causae efficientes tollantur,

2) ut complicationes si adsunt removeantur,

3) ut febris intermittens ipsa specificis remediis debelletur,

4) ut febris caveantur recidivae.

Prima cura est potius prophylactica et diaetetica quam contra morbum exquisitum. Caveamus praecipue in regionibus, ubi febres intermittentes endemiae sunt, aut si epidemia febris intermittentis adest, omnes noxas, quibus excitari morbus solet; ordinemus vitam diaeteticam, repudiemus omnem excessum et in corporis functionibus et in animi affectionibus; vitemus in primis omnem refrigerationem et permadefactiones subitas, somnum in cubiculo humido atque aurae permeanti exposito. Quum prodromi morbi appropinquantis occurrunt, remediis idoneis, ut saepenumero emetico e tartaro stibiato cum radice Ipecacuanhae, vel eccoprotico, vel sudorifero post refrictiones morbum profligemus. Secunda est indicatio complicationum removendarum, quo febris intermittens pura et clara fiat, et tum febrifugis debellari possit. Plurimae ac variae sunt complicationes, atque etiam curationes, quare principales tantum extollamus.

Primo ad febrem intermittentem aggreditur status gastricus exquisitus et quidem gastricus biliosus (quae complicatio non rara est): inimicissi-

mus capitis dolor, lingua flavo muco obtecta, dolor in hypochondrio dextro, nausea saepe obvia etc. Curatio hujus rationis minus efficitur eccoproticis, quia facile tractum intestinorum irritant atque diarrhoeas gravissimas ponunt; plus valet emeticum e tartaro stibiato cum Ipecacuanha, praecipue si post paroxysmos administratur. Contraindicationes sunt: status inflammatorius ventriculi et partium circumjacentium, congestiones ad caput etc. In his casibus optime dantur remedia aërophora, instituuntur detractiones sanguinis minus generales quam locales. Symptomatibus inflammatoriis crescentibus tartarus depuratus cum Kali nitrico administrandus.

Etiam status gastricus mucosus adesse potest; tarde ingreditur et cum magna et corporis et animi lassitudine conjunctus est. Facile mutatur in febrem remittentem mucosam. Curatio paene eadem ut in casu altero.

Epidemiae febrium intermittentium haud raro magna propensione ad catarrhum bronchialem aut bronchitidem chronicam sese designant. Cura etiam in hac complicatione emetico forti instituitur, tum ammonium muriaticum modo solum, modo cum refractis tartari stibiati aut radicis Ipecacuanhae dosibus porrigitur. Si status mucosus biliosus super-

venit, cura fit contra symptomata maxime prominentia, quibuscum altera quoque extinguuntur.

Accidit autem nonnunquam, ut status gastricus cura hac antigastrica non expellatur: tum quidem extracta amara et acida mineralia saepe multum valent. Secunda complicatio majoris est momenti cum statu catarrhali, quia tum febris intermittens saepenumero mutatur in febrem subcontinuam. Cura facilis: Rp. Ammon. muriat. dr. ij. Tart. stib gr. j. Aq. dest. Unc. V. M. D. S. 2stdl. 1 Essl. Complicatio rheumatica facile tollitur; nonnunquam metastases rheumaticae ad partes internas occurrunt, quare accuratius tractanda haec combinatio est methodus sudorifera optima. Intermittens inflammatoria putrida brevi tempore in febrem subcontinuam abire solet: cura magis antiseptica quam antiphlogistica esse debet.

Febris intermittens gastrica nervosa crebro in putridam transit. Curatio fit potissimum remediis acidis, quae et ad internum et ad externum usum administrantur. In casibus solis, ubi horrores vehementissimi exoriuntur, impetus hi Chinae praeparatis impugnandi sunt. — Tertia atque praestantissima indicatio est febris intermittentis ipsius per remedia specifica tollendae. Cura haec dividitur in eam,

qua singuli paroxysmi adjuvantur, quae cura symptomatica appellatur; et in curam, qua totus processus intermittens extinguitur, quae radicalis cura nominatur. Cura symptomatica in singulis paroxysmorum stadiis processum febrilem normalem modo conservare modo adjuvare debet, cujus rei descriptionem supervacaneam esse censeo.

CURA, QUAM DICIMUS RADICALEM.

Et prima quidem indicatio est cavendi, ne paroxysmi redeant, deinde ne dispositio febris intermittentis in aegroto remaneat.

Ad has autem indicationes perficiendas plurima in usu sunt remedia; inter alia tamen excellit cortex Chinae et ejus praeparata. Quod ad formam, in qua China optime administratur, pertinet, optima est infusum Chinae frigide paratum atque in primis Salia Chinae, Chininum sulphuricum et muriaticum. Etiam pulvis dari potest, sed bonum digestionis apparatum postulat, qua de causa saepe non fertur.

Duae sunt methodi Chinae adhibendae:

1. Methodus praevertens,
2. Methodus confundens.

Prima methodo proximus paroxysmus caveri debet, quare China in apyrexia dari solet, et quidem modo in dosibus parvulis, sed saepe iteratis, modo

in dosibus majoribus, sed rarius, modo in dosibus parvis ad majores paullatim adscendentibus. Quod ad quantitatem corticis Chinae in apyrexia datae pertinet, in quotidiana drachmae sex ad unciam vel etiam plus, in quartana uncia una et dimidia ad uncias duas consumuntur. Corrigentia adduntur aromata et amara aetherea, ut cort. Cinnamomi, Cariophylli, Zingiber etc. Si lingua muco obducta, Chinae additur ammonium muriaticum, ubi ventriculus debilitate aliqua laborat Rheum Chinae digestionem adjuvat; sin vero China ipsa non tollitur, Salia chinae, Chininum sulphuricum et muriaticum administrantur.

Methodus confundens paroxysmum jam praesentem extinguere vel gradum ejus ac vehementiam diminuere tendit.

Recidivae praecipue dies septimos observant, quamobrem curatio usque ad septimam diem convalescentiae produci solet in quotidiana febre, usque ad quatuordecimum in tertiana etc. Multae sunt medelae, quibus valescentia adjuvari potest: omnia fere amera huc pertinent.

Quod attinet quantitatem Chinini sulphurici et muriatici, ad quotidianam et tertianam sanandam grana octo ad decem, ad quartanam extinguendam grana viginti ad viginti quatuor satis esse dicuntur.

Pilularum forma optima esse videtur.

Ad paroxysmos reprimendos salibus Chinae plus utimur, et plurimum quidem Chinino sulphurico. Ad morbum autem radicitus sanandum cortex ponderis majoris esse solet.

Contraindicationes Chinae sunt praeter sordes gastricas: nimia debilitas organorum digestionis, status inflammatorius seu subinflammatorius tubi intestinalis; porro obstructio et diarrhoea, et obviae degenerationes viscerum intestinalium, quae non ortae sunt ex febri intermittente. Si corpus non fert Chinam aut si ex aliis causis suppeditari non potest, tum surrogata Chinae adhibenda sunt.

Multa autem alcaloidea vegetabilia nostris temporibus commendata sunt contra febrem intermittentem, et fere omnia ex genere amarorum vel potius adstringentiorum; exempli causa Salicinium, Cetrarinium, Hypocastaninium, etc.

Ex metallis adhibentur praeparata cupri, ferri, stibii et hydrargyri, in primis tamen arsenici, cujus optimum praeparatum est Solutio arsenicalis Fowleri. Arsenicum praesertim in febribus intermittentibus sic dictis nervosis in usum venit. Opium nonnunquam febrifugum adhibetur in magna aegroti sensibilitate.

VITA.

Natus sum ego, Henricus Guilelmus Prieger Crucenaci, provinciae Rhenanae oppidulo, a. h. s. XIX, patre P. E. Prieger, matre Philippina e gente Akva, quos deus optimus maximus ut perdiu incolumes mihi conservet, quotidie precor. Confessioni sum addictus evangelicae. Primis literarum imbutus elementis Gymnasium regium Crucenacense per annos duodecim frequentavi. Maturitatis vero testimonio munitus, autumno anni XXXIX. Berolinum petii, ibique a rectore magnifico Ill. Twesten in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Hecker, decanum gratiosi ordinis medici maxime spectabilem, nomen professus sum. Ibi per duo semestria hisce interfui scholis:

1. Philosophicis — de logice Ill. Trendelenburg, de psychologia et anthropologia Exp. Isensee, de zoologia Ill. Lichtenstein, de botanice Ill. Kunth, de mineralogia Ill. Weiss, de chemia Ill. Mitscherlich, de physica Cel. Dowe.

2. Medicis — de anatomia universali Ill. Müller, de osteologia Ill. Schlemm, de physiologia Ill. Mueller, de anatomia comparativa Ill. Müller. Docuerunt me insuper artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Schlemm.

Jam autumno anni XL. Herbipolin ad almam Juliam Maximilianam universitatem me contuli, ubi rectore magnifico Ill. de Lassaulx a decano maxime spectabili Ill. Textor medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Praeceptores mihi ibidem

fuerunt de anatomia universali Ill. Muenz, de pathologia generali Cel. Narr, de pathologia et therapia speciali Ill. Marcus, de anatomia pathologica Ill. Muenz, de chemia pharmaceutica Cel. Rumph, de botanice medicinali Ill. Leiblein, de arte obstetricia theoretica et practica Ill. d'Outrepont, de chirurgia Ill. Textor, de materia medica Cel. Narr. Artem secandi cadavera me docuit Ill. Muenz. Exercitationibus clinicis medicis, obstetriciis interfui virorum Ill. Marcus, d'Outrepont.

Unde in patriam reversus tempore paschali a. MDCCCXLII in almam Fridericam Guilelmam universitatem Berolinensem redii, ibique rectore magnifico Ill. Dieterici a decano maxime spectabili Ill. Juengken inter medicinae studiosos receptus sum. Disserentem audivi de historia medicinae Ill. Hekker, de medicina forensi Ill. Wagner. Exercitationibus clinicis medicis, paediatricis, chirurgicis, ophthalmiatricis interfui Ill. Wolff, Ill. Schoenlein, Cel. Barez, Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, Exp. Angelstein.

In instituto regio policlinico medico universitatis per sex menses, duce Cel. Romberg, artem medendi exercui.

Ut officiis patriae debitis satisfaciam, munere chirurgi militaris voluntarii, duce Exp. Krause, per annum fungor.

Quibus omnibus viris honoratissimis, quas possum maximas habeo gratias, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Medicina ex uno medicamine melior quam composita.
2. Symptomata objectiva subjectivis praestant.
3. Medicina et chirurgia non sunt discernendae.
4. Medicus naturae magister non minister.
5. Medicamenta non agunt nisi in sanguinem recepta.